

cap. III. At non minus miraculum est bonus inter reprobos ab eorum moribus alienus; cuiusmodi erant in Atheniensi academia, lubrica alioquin, S. Gregorius Nazianzenus et S. Basilius. Ita enim Nazianzenus, orat. XX. scribit: «Si quis fluvijs per salsum mare dulcis fluere creditur, si quod in igne, quo omnia consumuntur, animal saltitare; id nos inter omnes adulescentes, pravos scilicet et corruptos, eramus.» Deinde, possumus sensu mystico facere ea miracula, quæ fidelibus facienda concessit Dominus in cœlum ascensurus, uti suo loco dictum. Denique, quotquot heroicos virtutum actus præter omnium consuetudinem aut expectationem designant, sane non exiguum præstant miraculum; uti senior ille apud Cassianum, a plebe Alexandrina variis exagitatus injuriis, rogatusque: *Ecquæ miracula Christus fecisset?* Respondit enim: *Hæc, quod ego conviciis et injuriis vestris læcessitus, ad indignationem non moveor.* Quotquot etiam graves superant tentationes, miracula quædam patrunt, quia in igne sunt et non ardent. Talia porro miracula, si qui alii, possent edere ii, qui nuper ad fidem conversi sunt, simulque omnium animos et oculos in se convertere, si vellent. Imprimis si inter acatholicos non dubitent suam fidem constanter tueri, nec quidquam habere cum illis commune velint, uti fecit imprimis Naaman ille Syrus, qui ad Deum verum conversus tulit e terra sancta Israelitarum particulam, ut in ea consistens moneatur adorandi Dei veri in templo idolorum regis sui: solus igitur in idolorum fano Deum verum adorabat mira inventione, IV. Reg. V. Commendatur etiam eo nomine a S. Epiphano, hæ. XXX. laudatissimus ille Josephus a Constantino Magno comes factus, quod Scythopoli *solus is orthodoxus esset*, omnes vero alii Ariani. Deinde, si conversionis suæ luculenta testimonia et signa edere vellent, uti Zacchæus, qui ejurata rapina et avaritia promisit se dimidium honorum pauperibus daturum, et si quem defraudasset, restitutum in quadruplum, Luc. IX. Cui accedunt illi, qui in Actis apostolorum, cap. XIX. prius: *Curiosa* (id est magicas artes) *sectati contulerunt libros suos, et combusserunt coram omnibus.* Eo pertinent et Indi, qui a S. Xaverio et aliis ad fidem conversi, idola sua publice comminuerunt, conspuerunt, ad terram alliserunt, pedibus calcarunt. Hæc eadem facere neophyti maxima sua laude, aliorum ædificatione, cæterorum omnium admiratione possent, si et ipsi obfirmarent animum, ut ne in posterum cum hæresi et hæreticorum periculosa societate quidquam commune habere vellent: si damna prius data pro viribus resarcire studerent, quomodo Henricus Sueciæ rex ad fidem ope Ansgarii Hamburgensis episcopi

perductus christianæ religionis fines latissime propagavit, ut sic expiaret damnum, quod eidem prius attulerat, apud Cranzium, l. 1. metrop. c. XLI. si infectos hæresi libros vulcano devoverent: si cantiones et psalmodias hæreticorum, aliaque deliria execrarentur: si denique vitam suam ita instituerent, ut nemo non cernere posset, mutatos esse in viros alteros, et tam priore sua conversatione distantes, quam distat vera religio a falsa, fides divina ab humana.

IV. Subscriptione, quam fecerunt proprio sanguine, pro Christo se tradendo manibus carnicum. Atque hoc est ultimum ac perfectissimum testimonii genus et aliorum complementum; unde sancti martyres id nomen simpliciter obtulerunt, quod velut locupletissimi testes ipso sanguine suo fidei subscripserunt. Non est opus hoc ostendere factum esse ab apostolis, quia apertum. At vero qua ratione dabimus nos Christo tale testimonium? Absunt quidem tyranni, sed non desunt passim hæretici, qui catholicos affligunt; et ut isti desint, adsunt alia ex parte propria voluntas, mundus, caro, dæmon, quibuscum crebro velitandum. Istos si vicerimus, ad primos illos martyres proxime accedemus. Ergo primus noster tyrannus et persecutor est propria voluntas, quam vincimus per obedientiam. Habet autem et obedientia suum nec vulgare martyrium, quo quis caput suum frangit et alteri ad nutum subjicit: uti fecit B. Petrus Faber e primis S. Ignatii sociis unus, qui Romam evocatus in summis caloribus, ex obedientia paruit, dissuadentibus licet medicis; quare ibidem hostia obedientiæ factus Deo spiritum reddidit, et postea apparens sanctæ personæ sæpius repetiit se obedientiæ titulo mortem oppetiisse, et propterea in cœlo summis gaudiis perfrui, ut in ejus vita Orlandinus, lib. II. cap. XXVIII. Alter tyrannus mundus est, qui partim suis blanditiis inescat, partim obtreactionibus nos impugnat. Qua de re Sanctus Augustinus, serm. CCL. de tempore ait: «Contra mortifera blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana martyria Christianis non desesse:» et S. Gregorius, hom. XXV. in evangel. «Ferre contumelias, odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione.» Ratio est, quam dat Chrysostomus, hom. XXXI. in Acta: «Durius siquidem multo est opprobrium et convicium viro strenuo, quam corporis vulnus aut plaga.» Tertius est caro, quæ uti perpetuo nobis adhæret, ita perpetuo adversatur. Unde S. Cyprianus (vel quisquis est actor) tract. de duplici martyrio, passionis scilicet et actionis, seu sanctæ vitæ scribit, per hanc ita glorificari Deum ut per illam. «Fidelis, inquit, tota vita mar-

tyrium, hoc est, testimonium reddat Deo, quod adeo negligendum non est, ut nisi ea præcesse- rit martyrium quod sanguine perhibetur, non sit martyrium. Frustra enim cervicem præbueris ærenifici, nisi prius occideris membra quæ sunt super terram, hoc est, affectus qui militant adversus spiritum; odium, invidiam, superbiam, libidinem, etc.» Nec deest partibus suis dæmonem, qui si omnes pugne conquiescant, ipse pugnas excitat, cui nunquam non invigilare et resistere Christianus debet. Denique etiam, quisque paratus esse debet fidem suam tueri ac profiteri coram hostibus fidei, ita ut non modo eam abnegare nolit, sed nec tergiversari aut dissimulare cum interrogatur a magistratu: velitque potius omnis generis penas sustinere, quam vel latum unguem a sua professione recedere. Quod imprimis notare etiam neophyti debent, ut et ipsi martyres Christi suo modo fiant, suæque conversioni quasi sanguine subscribant. Neque enim deerunt, quæ post juratam religionem catholicam exercebunt eorum patientiam. Imprimis vitia inoluta et præva consuetudines, quæ cutis instar adhærent, nec sine difficultate exui possunt. Deinde, displicentia morum in privatis quibusdam catholicis, qui non faciunt officium suum. Rursum insultatio et minæ hæreticorum, quandoque etiam insidiæ quibus necem eis struunt. Denique variæ mundæ illecebræ, quibus retrahere eos conatur. Verum his persecutoribus opponere se tyro Christi debet, et cogitare, quod attinet ad primum, consuetudinem consuetudine pelli posse, et quæ initio amara videntur, usu ipso dulcescere. «Non assuetis ferre cervicibus jugum, grave est, inquit Seneca I. de providentia: ad suspensionem vulneris tyro pavescit, audacter veteranus cruorem suum spectat, qui scit sæpe se vicisse post sanguinem.» Semper adversi aliquid patiendum illi erit, sive religionem veram colat, sive non colat. Ubique cruce et miseriæ. Senectus diuturnis, adolescentia acutis obnoxia est morbis, in montibus ningit, in vallibus pluit. Quantum ad secundum, scire debet Ecclesiam catholicam profiteri quidem sanctitatem, sed non possidere, in omnibus suis membris: ad eam aspirare et impellere suos, sed nondum pervenisse; inter aliquos malos, multos esse bonos. *Vitis nemo sine nascitur; optimus ille est qui minimis urgetur*, ut ait Sanctus Hieronymus, ep. ad Salvian. Quod attinet ad tertium, mirum id non est. Audiamus Epictetum philosophum gentilem in enchiridio, cap. XIX. «Sapientiæ, inquit, studium suscipere cupis? Ad hoc te ipse statim para, ut deridearis, quasi te subsannaturi sint multi, et quasi dicturi: Iste nobis repente philosophus advenit, et unde nobis hoc

supercilium?» Nemo non sanctorum, ipse Christus Dominus, insultatores habuit, quis cum istis pati non velit? Denique, illecebræ mundi spernendæ sunt: æterna fluxis anteponenda. Tempestas probat navarchum; et tentatio verum Christianum. Facile est Christianum se exhibere, quamdiu mundus, caro, dæmon non blandiuntur, et nos avocare non conantur; ubi vero tentationes adsunt, tunc apparent veri Christiani, et veri Dei amici. Cujus rei exemplum affert Gregorius Nyssenus, ser. de profe. christi. homi. de simio purpura amicto, quem histrio quidam Alexandrinus ad instar mulieris vestitum, et larva muliebri secundum faciem operatum in scenam protulerat, et ad citharam scite saltare docuerat, ita ut mirarentur omnes et puellam crederent. Interea quidem re animadversa, ante simium projecit salgama, id est, poma et pira vel nuces, quo mirifice eum delectari sciebat: quibus conspectis mox occurrit simius; larvam detrahit et dirumpit, quo commodius vesci optato cibo posset: *Sicque factum*, inquit Gregorius, *ut simius videretur simius.* Eodem modo plurimi Christiani orant, jejunant, confitentur, templa adeunt, etc. quamdiu tentatio non occurrit. Ast ubi diabolus salgama seu illecebras ad ipsorum gustum factas objicit: ibi sæpenumero larvam hominis catholici qua se obtegebant, detrahunt, et contemptis Christi ac Ecclesiæ præceptis ad mores hæreticorum et priorem vivendi consuetudinem properant, carnes cum hæreticis devorant diebus interdictis, et ululant cum lupis. Verum hi ostendunt se religionem suam ædificasse super arenam: *Descendit enim pluvia et venerunt flumina et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam ac subruerunt eam.* Ergo, auditores, viderit unusquisque ubi domum suam ædificet: et si sapimus ædificemus super Ecclesiæ petram inexpugnabilem; ibique Christo Domino demus testimonium, quo et ipse aliquando in cœlis det nobis testimonium suum.

## CONCIO II.

MULTIPLEX PERFIDIA CASTIGATUR, FIDELITAS SUADETUR

I. Quæ committitur in Deum. — II. Quæ committitur in dominos. — III. Quæ a conjugibus. — IV. Quæ fit in proximum. — V. Quæ fit hosti contra pacta. — VI. Quæ committitur in amicum.

## THEMA.

*Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Joan. XV.

Inter alias præclaras Theodosii imperatoris virtutes celebratur imprimis tam certa beneficiorum promissio, ut jam accepta viderentur,



cum sponderet; siquidem vota hominum non fallebat aut fatigabat, nec artem difficultatis numeribus adhibebat, (apud Matthæum, tymp. in speculo magistratus, p. I. f. LXVIII.) Præclarum hoc encomium nulli magis debetur, quam Christo Domino nostro, qui est ipsa veritas; et ideo si Cyrillo credimus, Spiritum sanctum appellat Spiritum veritatis in hodierno evangelio, quia ab ipso tamquam a veritate procedit. Hunc Spiritum promisit ibidem suis discipulis, promisit inquam et misit, idemque Spiritus veritatis testimonium perhibuit Christo. O quam optandum esset, ut nobilis hæc fidelitas, Germanorum olim deus, etiamnum inter nos videret et floreret! Sed malum! Ea nunc passim vocatur vetus confidentia, quasi jam consenuerit illa fides, nec facile inveniri queat. Unde existimare aliquis possit, quadrare etiam in hæc tempora, quod ait Jeremias, c. V. de Jerusalem: *Circuite vias Jerusalem, et aspiciete, et considerate, et querite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem iudicium et querentem fidem et propitius ero ei.* Quocirca ut hæc in nobis virtus aut conservetur, aut plantetur, hostem ejus abjuratum videbimus, perfidiam.

I. Et omnium deterrima est, quæ committitur in Deum, et primo, circa fidem, cum quis, qui Deo nomen in baptismo dedit, ejus nomen et characterem accepit, hostibus ejus diabolo et pompis ejus abrenuntiavit, postea per apostasiam deficit a Christo et ejus Ecclesia. Fecit hoc Julianus, qui scelerato victimarum sanguine baptismum suum abluit, Gregor. Nazianz. orat. 1. in Jul.

Idem faciunt venefici et sagæ, in manibus diaboli Christum ejurantes, Deo et superis maledicentes, dæmoni se devoventes, sacrificantes, obedientiam videntes, coram eo non minus, quam olim Hebræi coram aureo vitulo, bibentes, canentes, saltantes; ipsum consulentes, necnon filios et filias ei devoventes, aliaque turpissima flagitia in ejus gratiam perpetrantes.

Eodem pertinent qui a fide catholica deficiunt ad hæresin, imo hæretici omnes, qui in baptismo fidem Christo dederunt et servare promiserunt, postea vero contemptis fidei dogmatibus ab Ecclesia Christi sibi propositis, fingunt sibi chimæras et opiniones proprias, adeoque velut ethnici colunt idola cordis sui, relicta etiam antiquissima et unica matre sua, adherent pessimis novatoribus, Luthero excucullato monacho, qui diabolum se fatetur sui dogmatis habere auctorem, I. de missa angl. et ord. ubi asserit a dæmone se convictum argumentis contra missam, iisque se contra catholicos semper usum esse: Zwinglio, qui asserit adiutorem se habuisse angelum de nocte sibi apparentem, ad Christum

a sacramento eucharistiæ excludendum, qui tam angelus ater an albus fuerit, se nescire, I. de subsidio eucharistiæ: Calvino item ob sodomie scelus perpetratum stigmatem inusto qui blasphemans a vermibus corrosus expiravit.

Contra istos omnes testimonium feret Spiritus veritatis in illa die; quam perfidi in Deum fuerint. *Væ genti peccatrici*, ait Isaias, c. 1. *populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum, blasphemarunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum: et Jeremias, cap. II. Transite ad insulas Cethim et videte, et in Cedar mittite, considerate vehementer: et videte, si factum est hujusmodi. Si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii: populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum. Obstupescite cæli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Certe Athenienses novos deos, præter eos quos ab antiquo colebant, nequaquam admittebant, ideoque Socratem mori compulerunt quod contra hoc facere videretur. At isti nova dogmata, prioribus abjectis, inducere nil verentur.*

Secundo, circa vota, cum ea Deo non exsolvantur, vel non bona fide. Prius illud agunt apostata a religione, et qui alia vota quæ Deo nuncuparunt infringunt.

Posterius, qui deterius solvunt pro meliore, ut in apologo viator, qui voverat si quid invenisset, ejus se dimidium Jovi oblaturum: inventa autem pera plena nucum et amygdalarum, comedit omnes, putamina autem et cortices obtulit ad aram dicens: *Habes ecce Jupiter dimidium quod tibi voveram.* Hac arte qui solvant Deo vota sua reperiuntur plures.

II. Quæ committitur a servis et vassallis in dominos. Etenim ex pacto tenentur servi dominis esse fideles: unde Germanice vocantur *die Ehehalten*, quia conjugium heri et heræ conservare debent. Debent igitur eorum rem tueri, damna avertere et cavere, honorem eorum defendere, arcana non effutire, nihil utis subtrahere aut violare quæ ad eos spectant, non magnas aut crebras eleemosynas invitis ipsis facere, hi enim si quid lucri faciunt, non ipsis, sed dominis faciunt. Maxime vero detestanda est perfidia servorum occulte prodentium dominos suos, etiam illis ipsis, in quorum gratiam id faciunt. Exemplo est comes a S. Paulo dictus qui sub Ludovico II. Franciæ rege, toti rei militari in illo regno præerat. Is occulte inclinare cepit ad partes Caroli Burgundiæ ducis hostisque regis. Quam perfidiam non ferens Carolus, ut erat magnanimus et generosus, de ea regem admonuit, imo comprehensum comitem ad eum misit, qui vix Lutetiam pervenit, capite plexus est, Belleforet. in Lud. II. hist. Franc.

III. Quæ committitur a conjugibus, cum aliis se prostituunt: vel quod deterius longe, cum repudiatis legitimis conjugibus, contrahunt cum aliis. Damnant hanc perfidiam multa. Primo, fides datur solemniter, quam etiam significat annuli traditio: secundo, ratio sacramenti, quod unum et insolubilem requirit conjugem, uti Christus habet Ecclesiam unam: tertio, justitia, quia neuter habet potestatem sui corporis, sed alter: denique, præceptum divinum, quod sine exceptione præcipit: *Non adulterabis, non machaberis*, Exod. XX. Unde alia ratio est aliorum contractuum, de quibus nihil statuit Deus. Possunt enim dirimi utriusque partis consensu, sed non ita matrimonium cujus diremptioni obstat lex divina. Sed de hoc alibi. Exemplum unum adjiciam. Legati a Dario Persarum rege ad Amyntam Macedonum regem missi erant, et cum ab eo magnifice suscepti essent, coeperunt in convivio nobiles matronas contractare turpiter, quæ simul accumbebant. Quod non ferens Alexander regis filius, rogavit ut eas parumper secedere paterentur, et locum dare pulchrioribus. Introducti autem sunt elegantissimi juvenes imberbes, amicti veste muliebri habentesque sub ea sicas, quibus, ubi cepti sunt contractari, petulantes legatos illos confoderunt, prout fuerat illis ab Alexandro imperatum, Chavass. IV. de prud. cap. VI. Ecce quam indignum visum etiam gentilibus alienas matronas vel petulanter contractare. Scimus etiam ex Judic. XV. quanta mala et damna intulerit Samson Philisthæis propterea quod audivisset uxorem suam, quæ Philisthæa erat, fidem sibi fregisse et alterius uxorem factam esse.

Eodem pertinet perfidia, quæ committitur inter desponsatos, est enim affinis perfidiæ conjugatorum. Quod enim semel illis placuit, deinceps etiam placere debet: quamquam sponsalia multas ob causas rationabiles possunt dissolvi.

IV. Quæ exercetur in proximum. Primo, contra facta promissionem justam, liberam et seriam. Talis enim perfidia violat fidem, quæ est omnium contractuum fundamentum: violat etiam charitatem, illudendo et contristando promissarium. Habent isti magnum os, sed parvas aut nullas manus, adeoque sunt monstruosi: *Nubes et pluvia non sequentes: vir gloriosus et promissa non complens.* Ut ergo aer cum sitienti terræ promittit quodammodo pluviam expansa desuper nube, et non dat, fallit et angit animos agricolarum, quos falsa spe lactarat; ita qui pollicitis tantum dives est: ejusmodi erat Antigonus rex, qui idcirco dictus est *Doson*, id est, daturus, quod magna promittens, parva præstaret, tymp. in mensa, Theophil. p. II. c. LIX.

Cæterum quomodo ut Proverbio dicitur: *Non quælibet nubes pluviam effundunt: ita nec quævis promissio obligationem inducit.* Etenim nubes vel sunt inanes et sine aqua, vel a superveniente vento dissipantur et impediuntur, et tunc pluviam dare nequeunt; ita si promissio ficta fuit, carens intentione se obligandi, similiter si promissioni etiam juratæ supervenit res gravis et onerosa, quæ promissionem impediisset, si præscita fuisset, tunc obligatione caret. Quod si nubes procellosa fit, averti et depelli debet pulsu campanarum: ita si promissio illicita sit, et vi obligationis caret et retractanda est. Exemplum fidelis promissionis exhibent nobis Romani imperatores licet ethnici, et partim Ecclesiæ persecutores. Cum enim Abercius episcopus Hierapolitanus, notæ sanctitatis vir, filiam M. Aurelii imperatoris Lucillam L. Vero imperatori desponsatam a dæmone arreptam liberasset, promisit ei Aurelius se, quod petierat episcopus daturum ei in singulos annos ter mille modios frumenti pro mendicis Ecclesiæ Hierapolitanæ ex publico. Quod non solum ipse, sed etiam ejus successores imperatores inter tot persecutiones licet, præstitere semper usque ad tempora Juliani imperatoris, ut habent annales Baronii, anno Domini 163.

Secundo, contra pacta legitima, v. g. solutionis talis, vel talis, ad hoc, vel illud tempus. Commune nunc est hoc vitium, indeque fit ut vix quisquam alteri commodare aliquid velit, quia non sequitur restitutio pactum. Hinc fœnora, oppignorationes et literæ obligatorie excoogitatae sunt, quia vetus confidentia perit.

Rursum quando quis vades suos sub onere restitutionis deserit, nec indemnes servare curat. Hoc enim præter injustitiam magnam etiam continet ingratitudinem. Elephantes certe, quando eorum unus in fossam se dimisit, quo in ejus tergo reliqui velut in ponte transirent, ubi fossam transgressi sunt, ad ultimum educunt illum, cujus beneficio transierunt. Non ergo hoc faciant homines?

V. Quæ fit hosti contra pacta statuta. Ita enim Sedecias se suamque stirpem ac regnum everfit, quia fidem Chaldæo datam fefellit et juramentum, ideoque victus ab eo, captus et excæcatus in captivitatem ductus est, Jerem. XXXIX. Sic familia Saul suspensa et extincta est ob Gabaonitas, quibus licet fraudulentis Josue salutem et incolunitatem promiserat et servarat, ab eo cæsos, II. Reg. XXI. sic punitus Vladislaus rex Hungariæ, qui cum sancitam contra Amurathe Turcarum imperatore pacem fregisset ducto in eum exercitu, et quidem in Turcarum exercitum stragem fecisset, durante jam ad triduum prælio, Amurathes suos fugari cernens, deprompsit



in sinu codicem initi fœderis, et oculos manusque in cœlum levans dixit: « Hæc sunt, Jesu Christe, fœdera, quæ Christiani tui mecum percussere, per numen tuum sancte jurarunt, datamque sub numine tuo fidem violarant, perfide Deum suum abnegarunt. Nunc Christe, si Deus es ( ut aiunt, et nos hallucinamur), tuas measque injurias, tu quæso, ulciscere. » Post hæc cœpit inclinari exercitus Christianorum, cum ad prædam Hungari conversiessent; quare hi in fugam acti, Uladislaus manu et capite truncatus est, iis Amurathi allatis, Bonfin. l. XXVI. de rebus Hungar. dec. III. et chron. genera. Hispan. p. IV. Discite hinc, quam execretur Deus perfidiam etiam in Christianis contra hostem capitalem Christi et Christianorum.

Celebrantur e contra Romani, de servata fide tam hostibus quam amicis: ob quam ad se gentes omnes facile pertraxerunt. Imprimis vero celebrantur non solum a Cic. 1. de offic. Plinio, l. 1. de viris illustribus, sed etiam ab Augustino, l. 1. de civ. cap. XV. Attilius Regulus consul, qui ab hoste captus et Romam missus, ut permutationem captivorum impetraret, dato jurejurando, si non impetrasset, in captivitatem rediret. Quid ergo? In senatu conditionem dissuasit, rejectisque a se conjugem et liberis, Carthaginem ingressus est ad hostem: ubi in arcam ligneam conjectus clavis introrsum adactis, vigiliis ac puncturis exercuciatus, duram mortem subire maluit, quam fidem hosti datam fallere.

VI. Quæ committitur in amicum per instabilitatem, cum scilicet adversitatis tempore desideretur. Pejus hoc videtur, quam non servare hosti fidem, quia amici conditio melior esse debet, quam inimici. « Fides quando promittitur, inquit S. August. in ep. ad Bonif. etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur, quanto magis amico pro quo pugnatur? » Quæ causa est cur Ludovicus II. suprad. cum audivisset amicos parentis sui Lutetie defuncti, non interfuisse ejus funeri, sed mox ad eum confugisse quasi regem salutaturos, repulerit omnes velut perfidos et fictos tantum amicos, Bellefor. ubi sup. Nihilo fidelius egit illa mulier cum marito suo defuncto, quæ (ut narrat Holcot. in l. Sap. l. CXI.) cum jussa esset a marito morituro vendere bovem, et pretium ejus dare pro anima viri pauperibus, venum quidem duxit bovem, sed una etiam catum; et catum quidem pro marcha auri, bovem autem pro obolo licitata est, ita tamen ut unum sine altero non venderet. Vendidit ergo utrumque, et pretium quidem bovis (obolum) pro anima mariti dedit: pretium vero cati (aurum) sibi retinuit. Hoc eo retuli, ut intelligeremus multas ejusmodi fraudes et perfidias committi a viventibus amicis

in defunctos, adeoque raros esse qui de mortuis suis amicis servant fidem amicitie et succurrere adlaborent.

Similiter delinquant, qui in gratiam amici, præsertim in angustiis positi, testimonium veritati non dant, sed mutescunt.

Verum sciunt hæc omnia eludere, tegere, vel palliare homines. Alii tuendæ vitæ aut famæ necessitatem proferunt; alii votum aut juramentum superveniens alii acceptam ab eo injuriam, cui fidem non servant: *Sed cum venerit Spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit hæc omnia vana esse.* Nec enim licet facere majus malum ad vitandum minus, adeoque peccare ad vitandum damnum corporis aut infamiam: nec obligant vota aut juramenta, cum non possunt sine peccato adimpleri, nec licet homini privato seipsum ulcisci, nec judicem esse sui ipsius.

Denique, horum omnium fides adulterinam meretur mercedem: quod exemplo Caroli IV. imp. ostendere possumus, qui cum Philippo Austriæ duce congregi armis metuens, tres ex hostilibus castris duces evocavit, iisque aurum pactus est, si principi suo fugam suaderent, prælium dissuaderent; re obtenta duces illos proditores auro adulterino solvit. Deprehensa fraude redeuntibus et monetæ falsitatem objicientibus ducibus: « Abite, inquit, furciferi, in malam crucem. Quam aliam meretur pecuniam vestra proditio atque perfidia? Adulterina fides, quam domino vestro præstitistis, adulterinum meretur aurum, non purum ac putum. » Itaque confusi duces cum ignominia discedunt, Hieronymus Zieglerus, de viris illustribus German. cap. LXXXVII. Similem mercedem expectent a Deo perfidi.

Sequamur itaque consilium S. Joannis, quod scribit in persona Christi ad episcopum Smyrnæ, Apoc. II. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.*

### CONCIO III.

SCANDALUM ACTIVUM COMMUNI OMNIUM SANCTORUM  
CALCULO VITANDUM.

I. Ostendit Deus. — II. Ostendit Christus. — III. Ostendit Deipara. — IV. Ostendunt angeli. — V. Ostendunt patres veteris testamenti. — VI. Ostendunt sancti novæ legis.

#### THEMA.

*Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.*  
Joann. XVI.

Nostis, auditores, publicas et communes noxas, clades et pericula, communi opera, averti et arceri. Sic incendia communi omnium vici

norum restinguuntur auxilio; sic lupi et canes rabidi communi incolarum pelluntur et necantur manu; sic viæ publicæ et regie communi reficiuntur et conservantur opera: proinde non unum hominem, sed totam offendit communitatem, qui ejusmodi noxam affert aut procurat. Hujusmodi malum in regno Christi est scandalum, quod non uni aut alteri homini, sed toti nocet communitati. Hinc omnes qui illius regni membra sunt, invenio communi quasi ope maxime adlaborasse, ut scandala tollerentur. Quod ego si ostendero, quis in posterum audebit rem tam noxiam in publicum afferre.

I. Ostendit Deus: nam imprimis justissimam iram suam cohibuit ab Hebræis, ne inde extollerentur gentes, eorum hostes, et pertinaciores fierent. Sic Num. XIV. cum proposuisset murmurantem populum ferre pestilentiam et consumere in deserto, interposuit se Moyses orans et dicens, inde consecuturum ut gentes blasphemarent nomen ejus, quasi non potuerit eos inducere in terram promissam, et idcirco occiderit eos. Moxque placatus Dominus dimisit eis supplicium juxta verbum Moysis, ne videlicet infideles ex hoc scandalum arriperent: et Deut. XXXII. ait: *Dixi, ubinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa et non Dominus fecit hæc omnia.* Similiter Exodi XXXII. cum Hebræos delere statueret propter vituli adorationem, Moyses ei objecit: *Ne quæso dicant Egyptii: Callide eduaxit eos ut interficeret in montibus et deleteret e terra, quiescat ira tua, etc.* et statim placatus est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat.

Denique, idcirco voluit Moysen occulte sepeliri, ut nemo mortaliu ejus nosset sepulcrum, ne Judæi ansam arriperent, si id nosset, Moysen pro Deo colendi, ut communiter sentiunt pp. Chrysost. Procop. Theodoret. Hunc in modum etiamnum infinita scandala nobis objecta tegit, et occultat Deus; quæ si adverteremus, millies impingeremus.

Quando igitur Deus justitiæ suæ vim quodammodo cohibuit, et dilecti servi sui sepulcrum occultavit, (cum tamen aliorum sanctorum sepulcra vellet esse gloriosa) ut scandalum averteret, quid non faciendum nobis? Ubi sunt, qui dicere solent: Quid ad me, si alii sinistre interpretentur quæ ego bona intentione et securus in conscientia facio? Sane si res talis sit, quæ scandalum ex natura sua parere solet, et sine peccato, gravi damno et difficultate tolli potest, tollendam jubet charitas, licet ex se mala non sit: imo etiam si bona sit, ut punitio peccati, cum timetur scandalum schismatis, ex August. l. III. contra Par-

men. c. II. connectio fraterna, impletio præcepti positivi, etc. Ubi intelligenda de scandalo pusillorum, id est, ignorantium; non de scandalo Pharisæorum, qui malitiose scandalizantur, et quodammodo volentes et videntes impingunt.

II. Ostendit Christus primo, seria dehortatione et comminatione. Non enim invenio Dominum contra aliud vitium adeo detonasce, ac contra scandalum. Ait enim Matth. XVIII. satius esse molari lapide ad collum appenso demergi in profundum maris, quam scandalizare vel unum parvulum; ait eruendos oculos, abscondendas manus et pedes cum nos scandalizant; minatur vae, id est, æternam damnationem scandalosis. Adhuc in suis sermonibus et cohortationibus sæpe admonuit suos ut ne scandalizarentur sive in ipso, sive in futuris persecutionibus.

Secundo, idem docuit exemplo. Primo enim, ne Judæi scandalizari possent in ejus natalibus, quasi ipse illicito thoro natus, et mater ejus fornicaria esset, voluit matrem suam virginem Josepho desponsatam esse: *Quid enim Judæis, inquit S. Ambrosius, l. II. in Luc. quid Herodii possit adscribi, si natum viderentur ex adulterio persculti?* Secundo, Matth. XVII. solvit didrachma exigentibus in Capharna, licet prius ostendisset, liberum se ab hoc esse: *Ut autem non scandalizemus eos, inquit ad Petrum, vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te.* Ecce quanta operum mole amolitur scandalum, mittit Petrum ad mare, jubet parare hamum, et ut vult Hieronymus, creat staterem in ore piscis, illum capl jubet, interim expectat, dum hæc omnia fiant. Et hæc facit medicus, qui et huic vel aliis animi morbis facile mederi poterat. Quid non faciedum nobis, qui per scandalum quidem vulnerare possumus, sed sanare non possumus?

III. Ostendit Deipara Virgo, dum post partum instar aliarum mulierum, licet angelos puritate vinceret, per quadraginta dies ab ingressu templi abstinuit, et legem purificationis servavit, ne homines scandalizarentur, quasi legem violaret, aliisve mulieribus melior esse vellet. Itaque de suo jure, honore et prærogativa cessit cum non teneretur, ut scandalum vitaret. Edificaverat Publicola primus, post exactos Romanorum reges, consul Romanus vir honoratissimus, ita appellatus quod ab omni populo vel publice coleretur, edificaverat inquam, in præalto loco sedes magnificas, et inauditise ob id in suspensionem venire affectati imperii. Quid igitur fecit? Funditus illas sub primam noctem subruil præcepit. Quo actu ita delectatus est senatus populusque Romanus, ut non modo illum in consulatu confirmaverit, sed domum etiam ei construxit